vale, et ex me Dominos Collegas, inprimis D. [illegible], et D. Tilenum peramanter saluta. Heidelbergae 6. April. 1618.

D. Festo Hommio Theologo Lugdunensi, Salutem.

Utinam, quod Amplissimus Dominus Praedecessor ad vos scripsit meamque ipse prolixe egit, praestare vobis possem! Nihil profecto optatius, quam florentissimas Belgii regiones vestrumque statum, fratres charissimi, eumque sanctissimam Synodi nationalis solennitatem coram cernere atque juvare. Verum enim vero, ita est aetas mea comparata, atque conditio, ut nisi Deum tentare velim, itineri tanto eoque hyberno, committere me non debeam. Quid enim si in medio coelo senilis languor me deficeret, numquid fabula fierem adversariis, ut sunt tempora? Dabitis igitur mihi veniam, nec sine me laborabit causa Ecclesiae. Venient ad vos tres, quos nominasti, integra aetate, probatique eruditione viri, votis vestris sufficientes: ad quos ego digitum intendi cum coram Serenissimo nostro me excusarem. Cum et his forte, aliisque extraneis parere poterat, ut Synodus vestra sola nationalis esset, sibi ipsa, cum divina gratia, sufficiens: siquidem dies hesterna tulisset, quod docuit hodierna. Haec nimirum fuit illa gratia resistibilis, pro qua tantos spiritus sumsit pars Arminii exspirata usque afflata, contra quam nos insipientes stulte disputavimus. Benedictus custos Israelis qui non dormitavit: benedictus inquam Filius Dei ad dextram patris, qui pro Ecclesia sua excubavit. Benedictus Heros vester, togata pietate nunc major, quam hactenus Marte invictus. Mauritio multi anni: Belgicae tranquillitati multi anni: Ecclesiae et Synodo vestrae tranquillitas et benedictio. Ad hanc, si volet Dominus, faciam ne nostri omnino sine me, hoc est sine epistola mea veniant. Proxima Sabbathi D. Altingius parat abitum cum Francofurtensibus mercatoribus in patriam Emdam, unde negotiis

expeditis ad vos descendet. Duo alij subsequentur secundo
Rheno ad tempus dictum. Ego interim servabo domum Theolo-
gicam Academicae, ne dilabatur coetus noster spectatissimus,
praecipuè ex natione Ungarica. Caeterùm tibi, frater charis-
sime, pro tanta benevolentia, quâ et sospitem me tibi
exoptas, reverenter gratias ago, optatissimè eadem frui-
turus, siquidem fata mea non obstarent. Vale feliciter
et saluta ex me fratres. Heidelbergae 13. Septemb. 1618.

220.

Ad Synodum Dordracenam.

Nobilissimi et Reverendissimi Domini Patres et Fratres in Synodo Dordracena Dei gratiâ congregati.

Quantis lachrymis infelix schisma vestrum à bonis
omnibus domi forisque deploratum hactenus fuit: tantis
nunc gratulationibus Synodum vestram, in Spiritu sancto
congregatam, ab iisdem excipi non est quod dubitetis.
Etenim flagrante schismatis incendio, Ecclesias nuper ar-
ctissimo pacis et unitatis vinculo colligatas, mise-
re in sectas invisa Deo lacerabat Erynnis. Respu-
blicas vestras sancti foederis glutine prius conjunctas,
dissociabat animorum et armorum infesta collisio.
Suspirabant boni: clam gestiebant improbi; nobis
vicini Babyloni calumniarum et sarcasmorum
gladiis ignem discordiae fodicabant: vobis vicinus
hostis e propinquo vestro invigilabat.

Nunc postquam custos Israëlis, Deus pacis, dedit in
corda vestra, ut vulneribus vestris medicinam
ordinariam faciendam esse necessarium judicare-
tis, ad eademque sananda, sancti congregatione,
in Christi nomine, concorditer convenistis. In-
omnium (quicquid improbi faciant) animis ingen-
tem in spem erecti, intestinorum malorum saluta-
rem clausulam expectant, vobisque intimis Patrem
misericordiarum votis suum invocant, ut Spiritus
sui gratiâ, secundum verbum suum, consilia et